

De Negligentia Usufructuarii.

S U M M A R I A.

- 1 **U**sufructuarius debet cavere de utendo, & fruendo salva rei substantia.
- 2 Quam cautionem si omittat prestare, non facit fructus suos, imo privatur Usufructu.
- 3 Limita, si Usufructuarius bona fide perciperet fructus.
- 4 Ad constituendum Usufructuarius in mala fide debet Proprietarius interpellare Usufructuarius ad cavendum.
- 5 Mulier Usufructuaria praesumitur ignorans, & in bona fide.
- 6 Si Usufructus sit litigiosus, non est cavendum.
- 7 Qui donavit omnia bona retento sibi Usufructu, non tenetur cavere.
- 8 Proprietarius potest remittere hanc obligationem cavendi.
- 9 Quae remissio potest etiam tacite fieri, ut scienter tacendo, & non interpellando Usufructuarius ad cavendum.
- 10 Pauper, alias probus, & bonae fame, si non potest aliter cavere, sufficit cautio Iuratoria.
- 11 Si vero non sit Vir probus, Proprietarius, vel alius tertius habebit apud se bona, & correspondet Usufructuario de fructibus.
- 12 Legato Usufructu in rebus usu consumptibilibus, observandum est ex conjecturata mente testatoris, an sit legata proprietatis.
- 13 Si Usufructuarius offerat sufficientem cautio-

- nem, & proprietarius eam recuset adhuc sine cautione fructus suos.
- 14 Etiam Usufructuarius dives debet cavere.
- 15 Non tenetur cavere, si debet succedere in proprietate.
- 16 Pater, qui habet Usufructum in bonis adventitiis filiorum, non tenetur cavere.
- 17 Negligens est Usufructuarius, si omittat facere reparationem necessariam pro rei conservatione.
- 18 Intellige dummodo expensae sint modicae.
- 19 Tenetur ad reparationem, quae respiciunt commodum temporale, & fructuum conservationem, non vero quae ad proprietatem spectant.
- 20 Nisi habito respectu ad tempus, quo percepturus sit Usufructum, quia pro rata iudicio prudentis concurret ad expensas.
- 21 Si requirerentur magna expensae, non tenetur Usufructuarius expendere de suo, deinde repetere, si tamen faciat, repetet.
- 22 Tenetur Usufructuarius solvere annua onera, ut annuos canones, & census.
- 23 Nisi tanta essent, quod exaurirent Usufructum.
- 24 Intellige, si Usufructus fieret inutilis perpetuo, secus si per aliquod tempus, post quod esset utile.
- 25 Si non faceret Inventarium, seu descriptionem rerum de quibus habet Usufructum, culpatur de negligentia.

A R T I C U L U S XXXII.

De Negligentiis, & omissionibus Usufructuarii.



ertum est, quod Usufructuarius tenetur cavere de utendo, & fruendo re concessa salva rei substantia arbitrio boni Viri, si res consistat in immobili, vel de restituendo pretio, aut simile Spetie, quantitate, & qualitate, si consistat in re mobili, quae usu consumitur secundum estimationem de tempore, quo consignatur Usufructuario, ut frumento, Vino, Oleo, & similibus, in quibus licet proprie non possit confi-

tere Usufructus, quia non potest verificari Usus, salva rei veritate, & substantia, tamen verificatur eo modo, quo potest, saltem improprie, ut impleretur mens testatoris, & de rebus mobilibus, quae non unico Usu consumuntur, diminuuntur tamen, debet restituere, quod superest secundum unam opinionem, vel pretium, secundum alteram allegatas à Gabriel. lib. 5. commun. opin. sub tit. de Usufructu, concl. 1. num. 20. & de praedictis habetur toto tit. ff. de Usufr. quemadmodum ca-

vet

vet l. i. C. de Usufr. Ubi Barbosa, & DD. Gabriel d. tit. de Usufruct.

Modo quod facit ad rem nostram est, si non praestet hanc cautionem, sed negligat, quinam effectus sequantur ex tali omissione, & negligentia.

- 2 Primus effectus est, quod non faciat fructus suos, immò privatur usufructu, si esset in possessione, seu detentione rei, & si non detineret rem concessam ad Usufructum, repelleretur ab agendo pro ejus consecutione l. Uxori ff. de Usufr. l. si. Usufructus C. de Usufruct. & l. Usufructu constituto C. eodem Gabriel tit. de Usufr. concl. num. 10. Barbosa in c. fin. n. 3. de pignor., Castill. de Usufr. c. 14. ubi n. 5. quod repellitur exceptione.
- 3 Qui tamen effectus limitatur in pluribus casibus Primo si Usufructuarius bona fide fructus perciperet non data cautione, quia ignorabat esse cavendum; tunc quia cessat negligentia ad quam incurramam requiritur scientia, quod quis teneatur prestare ut probavimus in prima parte, sublata ergo negligentia tollitur, & ejus effectus, & notavit glos. in l. Uxori l. prima ff. de Usufruct., Vivius Com. opin. lib. 3. opin. 43. n. 4.
- 4 Hinc fit, quod Proprietarius teneatur eum interpellare ad praestandam cautionem, qua Interpellatione facta cessat bona fides, cessat Ignorantia, & consequenter intrat negligentia, & tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum à die interpellationis, usque ad praestitam cautionem, Merlin. decis. 29. nu. 13. 14. Castil. de Usufructu c. 16. nu. 13., Bero consil. 41. n. 29. 30. Vol. 1.
- 5 Hinc in dicta decis. 29. Merlin. nu. 10. inferitur, quod cum in Muliere praesumatur talis ignorantia, illa fecerit fructus suos, quia non interpellata.
- 6 Secundo limitatur si Usufructus sit litigiosus, quia durante lite non tenetur cavere, & consequenter non incurrit negligentiae culpam, Cerro decis. 291. n. 13., & si proprietarius, vel alius percipiat fructus tenetur satis dare Usufructuario de restituendis fructibus in casu succumbentiae ad tex. in l. cuiuscunque 66. §. Si fundi ff. de Usufr.
- 7 Tertio limitatur in eo qui donavit omnia bona, retento sibi Usufructu, qui non tenetur cavere, eo quia cum sponte sua donaverit, vel nullam incurrit suspicionem de abutendo rebus donatis, vel censetur cum hac conditione donasse, & sibi usufructum re-

servasse Barbosa in l. 1. n. 12. C. de Usufr., post Cavalcan. de Usufr. mulieri relicto n. 153., Surd. de alim. tit. 9. qu. 41. n. 7. Gabriel dicta concl. 1. de Usufr. num. 45., Vivius com. opin. lib. 3. opin. 45. num. 4.

- 8 Quarto limitatur si haeres proprietarius postquam successit in proprietate, remittat praestationem cautionis, quod potest cum in favorem sui praestanda esset, & unusquisque potest cedere Iuri, & favori pro se introducto, Castill. de Usufr. cap. 15. num. 16. Gutierrez in repetit. l. Nemo potest n. 280., & 285. ff. de leg. 1., Barbosa in l. 1. n. 8. C. de Usufr., Gabriel dicta concl. 1. n. 11.

Quinto limita si quis vivens constituat Usufructum alteri duraturum, donec ipse viveret, quia & ipse potest rei suae legem ponere, aut cedere favori sibi à lege constituto, Surd. de alim. tit. 9. q. 26. n. 23., Gutierrez in dicta l. Nemo potest n. 287. ff. de leg. 1., Barbosa in c. fin. n. 6. de pignorib.

- 9 Sexto limita si haeres non quidem expressè, sed saltè tacite remittat cautionem, ut contingit quando sciens Usufructuarius bona tenere, fructus percipere, aut mobilia Usu consumptibilia consumere, & tamen taceat, patiat, nec cautionem exposcat, tunc Usufructuarius omissa praestatione cautionis non est negligens, sed facit fructus suos, nec potest privari Usufructu, ut post Ruin. consilio 91. col. 2. in fine Vol. 2., notat Gabriel de Usufr. concl. 1. nu. 14. Vivius com. opin. lib. 3. opin. 43. num. 3. Vbi Gabriel n. 15. ampliat si à testatore concessa fuisset Usufructuario potestas intrandi ad bona propria auctoritate, tunc etiam sine scientia, & patientia proprietarii, nec praestita cautione adhuc faceret fructus suos.

- 10 Septimo limita in paupere, qui non invenit fidejussores, quibus caveat, nec habeat pignora, tamen sit Vir honestus, & probus bonae fame, nec male consumens, tunc sufficit, si caveat Iuramento suo ad latè tradita per Leoncillum de privilegiis pauperum, privilegio 421. Gabriel dicta concl. 1. nu. 37., quae sententia magnae innititur aequitati, quidquid dicat Vivius com. opin. lib. 3. opin. 45. n. 8. Barbosa in l. Usufructu constituto nu. 8. in fine C. de Usufruct.
- 11 Dixi si sit Vir honestus probus &c., quia aliàs si sit Vir suspectus, nec possit cavere per fidejussores, bona vel sunt consignanda proprietario vel alteri, qui debitis temporibus

- bus respondeat Usufructuario de fructibus &c. ut latius ostendit *Leoncil. dicto privilegio* 421. recipiens tamen hæc bona debet, & ipse cavere de fructibus restituendis Usufructuario sui loco, & tempore, ex traditis per eundem *Leoncilum loco citato Gabriel supra nu. 41.* ubi concordant D.D.
- 12 Sexto limita in bonis mobilibus, quæ unico usu consumuntur, vel usu minuuntur, si ex conjecturis colligi posset mens testatoris, quod ea consumpta non restituantur, quia in tali casu censentur legata quoad proprietatem ad allegata per *Tuscum in Vers. Usufructuarius concl. 304. n. 40.*
- 13 Ex regula ergo debet Usufructuarius cavere, & ad obtinendum bona agendo, & instando pro consecutione debet offerre dictam cautionem alias poterit repelli *Gabriel dicta concl. 1. n. 40.* oblata autem cautione petita, vel non petita, si proprietarius recuset eam acceptare absque legitima causa, tunc Usufructuarius consequetur bona, & faciet fructus suos *in l. Uxor. l. 1. ff. de Usufruc. leg. quia non est negligens, dum per se non stetit, sed ex parte proprietarii, ac propterea illi debet imputari ad allegata per Rotam Coram Celso decis. 260. nu. 14. par. 10. recent. Cagnol. in l. qui in alterius 42. sub n. 12. ff. de reg. Jur., Scaccia de Appell. q. 15. n. 66.*
- 14 Utrum Dives teneatur pariter satisfacere, questio est, ex quo videtur, ex propriis bonis sufficienter cavisse, attamen etiam ditissimum teneri cavere decidit *Leoncil. decis. Ferrarise 170. sub nu. 1. Gabriel dicta concl. 1. nu. 27.* Ubi quod contrarium teneat *Corneus loco ibi citato.*
- 15 Septimo limita in Usufructuario, ad quem est certum post tempus etiam ob venturam proprietatem *l. si Usufructus. §. plane ff. de Usufr. quemadmodum caveat Gabriel n. 46.*
- 16 Octavo limita in Patre, qui est Usufructuarius honorum adventitiorum filii, non tamen tenetur satisfacere *l. fin. §. hoc. proculdubio C. de bonis, quæ lib. glo. in c. fin. in Vers. Immobili- bus de pignor.*
- 17 Secundus Casus, quo Usufructuarius negligentiam incurrit, est si negligat facere reparaciones necessarias, pro re conservanda, ad *tex. in l. eum ad quem C. de Usufr.,* cujus negligentia effectus est, ut Usufructuarius teneatur de proprio ad omnes deteriorationes, & damna, quæ in re Usufructuata sequerentur, ex causa talis omif-

- sionis, etiam si damna importent magnos sumptus, & poterit ab Usufructu submo- veri, si negligentia sit magna, & valde damnosa, *l. sed cum fructuarius, & ibi, glos. in V. suorum ff. de Usufr., Gratian. di- scep. for. cap. 778. num. 7. 8., & 9., & facit tex. in l. hoc amplius §. fin. ff. de damno inf.*
- 18 Limita primo, dummodo expensæ repara- tionum sint modicæ, secus si magnæ, *l. actenus ff. de Usufructu, nam ad magnas expensas tenetur proprietarius, ad late al- legata per Gratian. d. c. 778. n. 5. 6., ubi con- cordat D.D., Castill. de Usufr. c. 56. n. 1., & seqq.*
- 19 Limita secundo, quod teneatur Usufru- ctuarius ad refectiones, quæ important, seu respiciunt commodum temporale, & ad fructuum conservationem, quia respi- ciunt ejusdem Usufructuarii commodum, non verò, quæ ad perpetuam rerum con- servationem, & utilitatem, quæ ad pro- prietatem spectant, *Castro in d. l. eum ad quem num. 1. C. de Usufr. per tex. in l. Usufru- ctu legato ff. de Usufr., & in hoc etiam fun- datur prima limitatio, quia magnæ ex- pensæ regulariter respiciunt perpetuam uti- litatem, & cum excedant commodum quod potest sentire Usufructuarius, & se exten- dat ad proprietarium, hinc fit, quod ad proprietarium spectent.*
- 20 Sublimita etiam hanc secundam limita- tionem, nam quando expensæ sunt magne, & respiciunt perpetuam utilitatem rei, si tamen cedant etiam ad commodum Usu- fructuarii pro tempore, quo vixerit ha- bens usumfructum, & ipse tunc tenetur ad ratam concurrere in expensis, quanto Judicio prudentis sit ejus usus, ut si con- dantur horrea ad condendos, & conservan- dos fructus, si attentata ætate spes sit judi- cio prudentis, quod Usufructuarius super- vivat ad 20. Annos taxabitur ad ratam ex- pensæ, vel certius in morte Usufructuarii pro tempore, quo supervixerit à die re- fectionis, & reparationis horreorum, vel etiam fortè ad totum tenebitur, si tam- diù vivat, quamdiù reparatio duret, *Ca- still. d. c. 56. num. 12.,* Quod autem sit mo- dicum tempus, vel longum in hac mate- ria, & aliqui dicant si reparatio sit dura- tura, per duos, vel tres Annos, ut facta tecta habere, fossata purgare &c., tunc totum onus imponitur Usufructuario ab- solutè, si longius &c. tunc dividitur, ad alle-

- allegata per *Barbosam in d. l. eum ad quem post plures num. 4. citatos. C. de Usufructu.*
- 21 Si contingat necessitas faciendi magnas expensas pro rei reparatione, non tenetur Fructuarius de suo expendere, deinde re- petere, ut notat *Castill. supra cap. 57.,* li- cet si de suo expendat, possit eas repetere vel actione negotiorum gestorum, vel ac- tione in factum, tenetur tamen intimare proprietario, qui si negligit pecuniam tra- dere, vel reparare, tunc poterit Usufru- ctuarius de suo expendere, vel ad usuram summere, deinde repetere cum Usuris, vide *Castillum articulum fusè discutientem d. c. 57.,* non intimando autem fructua- rius negligentiam incurreret, quia ei in- cumbit cura earum rerum, alias poterit privari Usufructu, ad allegata per *Gra- tian. discep. for. c. 778. num. 10., & seqq.*
- 22 Tertius Casus, quo Usufructuarius negli- gens esse poterit, si omittat solvere annua onera, quæ rem sequuntur, tum quia annua, & sic temporalia sunt, tum quia fru- ctus respiciunt, tum quia res transit cum onere suo, tum quia talis censetur inten- tio testatoris legantis, nisi vel expressè, vel ex coniecturis testatorem aliter voluif- se colligeretur, ad allegata per *Castill. d. c. 56. n. 14. 15. 16.,* unde etiam annui cen-
- sus essent per Usufructuarius solvendi, sicque canones, & annui Vfus, gabella, impositiones, & similia, *Barbosa in d. l. eum ad quem num. 6. C. de Usuf.*
- 23 Limita tamen, cum *Castillo d. cap. 56. nu. 18. 19.,* si Vusufructus redderetur inutilis, puta, quod solvendo omnia onera annua, nihil ex fructibus super esset pro eo, quia nunquam verissimile reputandum esset, quod testator voluisset legatum inutile fa- cere, atque onerare, sine honore, aut commodo.
- 24 Sublimita verò hanc limitationem, quan- do inutilitas esset perpetua, secus si ad tempus, ita ut post illud legatum redde- retur utile, quia sufficeret quæcumque utilitas ad sustinendum legatum.
- 25 Quartus Casus, quo Vusufructuarius fit negligens est, si omittat facere inventariū, vel saltem descriptionem rerum, *Cerro de- cis. 29. num. 5.,* quod maximè de mobili- bus necessarium esset, quia sine descriptio- ne non poterit constare, quæ bona resti- duenda, quantum fuerit pretium earum de tempore quæsitū Vusufructus, *Cravet Consil. 187. ad finem, Gabriel. tit. de Vusufr. concl. 1. num. 31.,* ubi quod ista descriptio est aded necessaria, ut non possit per te- statorem prohiberi, *Surd. decis. 194. à n. 4.*

F I N I S.